



THESES PHYSICÆ

DE

M O T V

EIVSQUE
SPECIEBV S,

Quas

Divino favente Numinis

Exercitij gratiâ

Sub Præsidio

Clarissimi Doctissimq; Viri

D. AE LI EVERHARDI VORSTI

Doctoris Medici, & Philosophi, Physicesq; in alma,
qua est Lugduni in Batavis, Academia

Professoris dignissimi,

publicè sustinere conabor

IOANNES vander HAGHE.

3. Idus Sept. Anno 1599. Horâ & loco consuetis.



Lugduni Batavorum
Ex Officinâ Thomæ Basson. 1599.

THESES PHYSIQUE

V T O M
NOBILI ET REVERENDO
VIRO

Dn. IACOBO vander HAGHE,
Dn. de Gotthem,

Patenti meo omni observantia colendo,

HASCE

D E M O T V

THESES

debitæ gratitudinis, observantiae, & honoris
ergo offero & dedico,

JOANNES vander HAGHE.



Ex Officina Typographica Batavorum.
Lugduni Batavorum
1700.

M O T V.

Dissertationis de Motu utilitas ex eo constare potest; quod eo ignorare ipsam naturam (in cuius adyis explicandis tota physiologia versatur) ignorari necesse sit: ipso hoc afferente Philosopho his verbis. Αναγκαιος ἀγνοεινος κρινεται αγνοειδει την ποσιτ. Cum enim natura definiter απο της κρινετος, non aliter eius via penetrari potest, quam probè perspeelē motu, utpote qui ei soli, & semper coveniat. Quare cum non ita pridem de NATURA instituta fuerit disputatio, non abs re nobis visum est, si de MOTU ex sententia principis philosophorum disquisitio subiungeretur.

THESIS I.

Qui autem an sit in rerum natura Motus dubitant, non se philosophos, sed homines omni sensu destitutos esse ostendunt: hunc enim cum præter omnes sanos, ipsa experientia rebus naturalibus tribuat, nulla hic ad idipsum probandum probatione opus est.

II.

Vt igitur quid sit cognoscatur, hic mox in lumine eius definitionē ponemus. Η κίνησις εστιν η πλεύχεια της θυματης οὐλος, η τοιετον. Motus est actus eius, quod potestari est quatenus est potestate.

III.

Motum autem actum dicimus, non quidem

perfectum (hoc enim posito cessaret motus) sed
imperfectum, propterea quod via sit ad perfectio-
nem, & quamdiu mobile moveatur, tamdiu sit
in potentia ad partes sequentes motus, & ad ma-
jorem perfectionem consequendam.

IV.

Quapropter etiam non inconvenienter in de-
finitione adiectum est, *Actus eius quod est potesta-*
te, cum in eo semper quod potestate, & actu sit
inveniatur.

V.

Quod quomodo fiat facilius intelligetur, si
tria in motu consideraverimus: terminum scili-
cet à quo, terminum ad quem, & subiectum in
quo motus occupatur.

VI.

Terminus à quo, est initium unde res moveri
incipit; quod fit quoties actus aliquis accedit ad
id quod est potestate, quatenus est potestate; &
tum est *actu* aliquid formæ, ad quam fit motus.

VII.

Terminus ad quē, est perfectio formæ, ad quam
motus

motus tendebat: seu est id quod per motum
acquiritur, quo acquisito cessat motus; ad
huius igitur formæ ampliorem participationem
& pleniorem perfectionem *potentia* in motu
reliqua est.

VIII.

Subiectum, est res mobilis, seu corpus naturale
ex materia & forma compositum, quod motum
vel in seipso habet, vel aliunde excitatum recipit.

IX.

Ex his autem terminis, neuter motus dicitur,
sed quod mediat inter utrumq; ut in conversio-
ne chyli in chymum, nec χυλός, nec χύμα motus est,
sed fluxus ille, & tendentia ad formam, χύμασι
dicta.

X.

Hactenus an & quid motus sit adum-
bravimus: proximum est, ut quotuplex sit videa-
mus, & planum faciamus.

XI.

Cùm autem variæ eius sint divisiones, genera-

etiam

A. 3.

lissimam

lissimam & maximè communem præmittemus,
in naturalem sc. & violentum : quæ ex principijs
ipsius motus efficientibus oritur.

XII.

Naturalem dicimus eum, qui proficiscitur ex
principio aliquo, quod est in ipsa re quæ move-
tur. Qui verò extrinsecus tantum accedit rei mo-
bili, contra naturalem eius propensionem, eum
violentum appellamus: qui duo cùm in re natura-
li diverso respectu inveniuntur, *mixtus* oritur.

XIII.

Species motus pro varietate rerum in quibus
versantur, quatuor vulgò numerantur; quarum
prima γένεσις καὶ φορὰ dicitur, in substantia; secunda
αὐξησις καὶ μείωσις in quantitate; tertia ἀλλοιώσις in qualita-
te; quarta φορὰ seu μεταβολὴ καὶ πότερον, in ubi.

XIV.

Generatio, est motus quo totum mutatur, &
ex recessione & amissione prioris formæ res pau-
latim novam acquirit, nullo sensili manente ut
subiecto eodem: quam definitionem *corruptioni*
etiam

etiam applicari posse satis probant exempla ab Aristot. adducta: cùm dicit, ex aqua aërem, & ex aëre aquam generari, atque ita generationem huius illius corruptionem esse, & contrà; quæ tamen corruptio quatenus corruptio propriam definitionem sortitur, qua definitur motus ab ente ad non ens, & generationi opposita est.

XV.

Accretio, est motus quo corpus naturale vivens à minori quantitate ad maiorem tendit, usq; ad terminum à natura præfinitum. *Decretio*, est motus huic contrarius, quo maior illa quantitas deperditur, & minor acquiritur.

XVI.

Alteratio, est motus quo una qualitas in aliam mutatur, manente eodem subiecto: quod quavis de qualitatibus physicis in genere tam primis, quam secundis dici potest, propriè tamen secundum primas tantum qualitates sit; quoniam in his propriè contrarietas, actio item & passio reperitur.

Locimur

Locimutatio, est motus quo quid de uno loco
in aliū transit, qui locus non inhæsivè, sed cir-
cumscriptivè mobili inest, quatenus scilicet illud
circumscribit.

Arque hæc de speciebus motus, ut secundūm
ordinem Prædicamentorum se invicem sequun-
tur: inter quas tamen ordine naturæ, prima est
motus localis; secunda alteratio, quia quicquid
generatur prævia alteratione ad formam susci-
piendam præparatur; hanc sequitur generatio; re
generatâ ab ipsa anima promovetur, & dilatatur;
quod non tantùm accretio, verùm etiam locimu-
tatio dici potest: ut enim hæc prima est in ordine
caussæ efficientis: ita in ordine caussæ finalis reli-
quas sequitur.

F I N I S



